



SERMO SVCCINCTVS,  
QVO  
IN ILLVSTRI PANEGYRI  
REGIMEN ACADEMICVM  
IN MANVS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DN. IOHANNIS WILHELMI,**  
DVCIS SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,  
LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE,  
PRINCIPIS HENNEBERGIAE, COMITIS IN MARCA  
ET RAVENSPERG, DYNASTAE IN RAVENSTEIN

D. XXIII. FEBR. MDC LXXXIIX.

HVMILIME RESIGNABAT

FRIDEM. BECHMANN.

*SS. Theol. D. ejusdemque P.P.*



25.



*SERENISSIME PRINCEPS*  
*AC DOMINE,*  
**DN. WILHELME ERNESTE,**  
Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium,  
Landgrafie Thuringiae, Marchio Misniae,  
Principali dignitate Comes Hennebergiae,  
Comes Marcae & Ravenspurgi, Dynasta Ravensteini,  
*Princeps ac Domine Clementissime!*

*SERENISSIME PRINCEPS*  
*AC DOMINE,*  
**DN. IOANNES WILHELME,**  
Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium,  
Landgrafie Thuringiae, Marchio Misniae,  
Principali dignitate Comes Hennebergiae,  
Comes Marcae & Ravenspurgi, Dynasta Ravensteini,  
*Rektor Academiae Magnificentissime Designate,*  
PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME:

*SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM,*  
*ACADEMIAE HVIVS NVTRITORVM MVNIFICENTISSIMORVM*  
**LEGATI EMINENTISSIMI,**  
PROCERES ILLVSTRES summè suspiciendi,  
Academiae Designate PRO-RECTOR, Patres Academiae  
Conscripti,  
Tuque DEO, Ecclesiae, atque Reipublicae consecrata Studio-  
forum Concio lectissima.

Im-



Imperatorem Romanorum Diocletianum, si odium in Christianos, & cruentas in eos persecutiones exceperis, de laude suâ non penitus frustrandum, rem moderationis insolitæ & admirationis plenam aliquando fecisse, Romanæ historiæ conditores testantur. Derepente enim, siue propter ætatem ingrauescentem, siue perpetuo blandientis fortunæ fastidium, siue summam quam penitissimè perspectam habebat, imperandi difficultatem, imperio abire constituens, Romæ in templo Jovis, audientibus civibus & obstupescens in hæc verba erupisse fertur: *Recipe Jupiter imperium, quod mihi commodasti: hoc verò ita depono, ut resumturum me non esse, Sanctum tuum Numen testatus adorem.* Scilicet sentiebat Princeps solers pariter ac fortunatus, magnum omnino onus esse Magistratum, non spectabat flexa subditorum genua, non purpuræ dignitatem, non sceptrorum splendorem, sed latentes sub hisce curas, molestias, labores, variasque adversitates, optimè intelligebat, non frustra dictum esse, *Plenum est diadema periculis.* Atque hinc factum est, ut deinceps animo adeo alieno fuerit ab imperio, ut Amico ad capeffenda denuo mundi gubernacula speciosè sollicitanti furdas aures opposuerit, nec ullis verborum illecebris, nullâ resumendæ purpuræ dul-

dulcedine, honore aut splendore allici, aut à vitâ  
privatâ, & hortorum culturâ atque amœnitate,  
cui totum se addixerat, abduci potuerit, sanctè  
testatus, nullos sibi unquam soles lætiores affulsisse.  
Etsi autem imperium Academiis concessum ad  
Imperatorum & Regum Majestatem non assurgit,  
tamen & illud variis curis, molestiis, periculis atque  
adversitatibus expositum est, ut, qui humeros huic  
oneri submiserunt, & sub eò fatis sudârunt, è statio-  
ne suâ exire, sibi que ac studiis ordinariis reddi ge-  
stiant. Dum itaque in hœc non Jovis fano, sed Je-  
hovæ veri DEI ejusque cultui religioso dicatò tem-  
plò heic comparuimus, diffiteri non possum, quin  
totâ mente gaudeam, eum illuxisse diem, quò mo-  
lestam regiminis academici stationem relinquere,  
& ad pristina studia reverti, divinitus mihi conces-  
sum est. Non igitur Jovi illi fictitio, cum Diocle-  
tiano, sed DEO vero Optimo Maximo eâ, quâ de-  
cet, devotione regimen academicum hodie resigno.  
Recipe igitur, summe DEVS, academicum Impe-  
rium, quod mihi commodaisti, aufer hodie à me, DEVS  
sanctissime, onus, quod humeris meis hætenus  
imposuisti! hoc verò ita nunc depono, ut me unquam  
illud resumturum, haud confidam, certè nullò ejus  
resumendi desiderio teneam. Prius verò, quàm insi-  
gnia academica deponam, & è statione meâ abeam  
non possum, quin illustri huic Academiae de tribus  
potissimum gratuler, ac divinam simul clementiam

B cele-

celebrem. Primò locò Academiae huic inclytæ meritò gratulor de singulari & ineffabili DEI gratia, quâ Serenissimos Nutritores nostros salvos hætenus atq; incolumes nobis præstitit, quorum singularis in hanc Academiam ac prope divina est munificentia, qui suo nos præsidio ac subsidio clementissimè tuentur, & rempublicam literariam, quantum in ipsis est, omnibus modis ornare atque amplificare contendunt, in eoque non minimam bonæ & felicitis gubernationis partem positam esse arbitrantur. Te, ô summe DEVS, supplex oro atque veneror, velis in posterum quoque Serenissimos Saxoniae Duces, Dominos nostros Clementissimos, Academiae Nutritores benignissimos tueri, salutaria illis consilia ad promovendam tuam gloriam & salutem publicam suggerere, ut sub eorum umbrâ piè ac tranquillè nobis porrò vivere liceat. Alterum de quò lætò animò Academiae nostræ hòc die non possum non gratulari, est exoptata, quæ Academiam hætenus illustriorem reddidit, tranquillitas, & promptum nobilissimorum studiosorum erga magistratum obsequium. Quintùm hucusque Academici Rectoris munus gessi, & varios eosque tristes ac tragicos casus, non sine summò animi mœrore expertus sum: sed quæ infinita DEI nostri erga hanc Academiam gratia est atque benignitas, per elapsum hoc semestre tales non vidimus, nullus ex his animis nostris mœror allatus est: ubi antehac variè motus Academiam,

con-

concusserunt, & aliquando omnimodam ei ruinam  
minati sunt, per elapsum semestre studiis tranquille  
opera data fuit: nocturni tumultus, nimiae & crebrae  
computationes, periculosae contentiones, cruentae  
digladiationes & vulnerationes per hoc semestre ab  
Academia nostra fere exularunt, ut illustris haec SA-  
LANA novam prorsus eamque formosissimam faciem  
induisse videatur. Haec Tuæ, summe DEVS, erga  
Nos clementiae debemus: serva in posterum quo-  
que florem hujus universitatis, eumque gratiam tuam  
porro complectere: tuere docentes, iisque Spiritum  
S. largire, ut non solum variis artibus atque scientiis,  
sed & vitae innocentia tanquam splendida lumina a-  
liis praeluceant: protege, o DEVS, omnes, qui scepro  
academico se submiserunt, eique fidem ac venera-  
tionem polliciti sunt, ut ejus auspicio contra tot im-  
pedimenta atque illecebras, eruditionis atque pieta-  
tis triumphum tandem obtineant. Denique Acade-  
miae nostrae gratulor etiam de futuro regimine Re-  
ctoris magnificentissimi, Serenissimi Principis ac  
Domini, DN. IOHANNIS WILHELMI, Ducis Saxoniae,  
Juliaci, Cliviae ac Montium &c. Domini mei clemen-  
tissimi, quem si, quod Tito Vespasiano olim contigit,  
Amorem ac delicias humani generis appellavero, ni-  
hil, quod a vero alienum est, dixero: hic sicut auspi-  
cio Serenissimi Tutoris, & summorum virorum cu-  
ra ita educatus fuit, ut optimis Principibus aequan-  
dus innocentiam, senili prudentia, in viros bonos be-  
nevo-



nevolentia, & (quæ præcipua dos principum est) singulari in omnes clementia, quod encomium erat optimi Principis Alexandri Severi : ita auguror, imperium ejus fore justitiâ atque clementiâ suaviter, temperatum, ac proinde fortunatissimum, de quò universa sibi Academia gratulari queat. Ego verò, sicuti ante hoc ipsum semestre trepidante manu sceptrum academica capeffi, ita nunc lætus ea deponam. Quamobrem ad Serenitatem Tuam nunc sermo meus deflectit, Serenissime Princeps ac Domine, DN. JOHANNES WILHELME, Dux Saxoniae, Juliaci, Clivæ ac Montium, &c. Princeps ac Domine clementissime, Rector hujus Academiae designate Magnificentissime: alter nunc mensis agitur, cum unanimi Senatus Academici consensu electus es in subsequens semestre Rector hujus Academiae Magnificentissimus: exactò igitur tempore illò, quò munus Rectoris mihi commissum fuit, dies nunc adest ac hora, qua provincia hæc reapse Tibi, Princeps Serenissime, tradenda est. Quod itaque Academiae nostræ, omnibusque bonis felix & faustum esse jubeat SS. Trinitas, TIBI nunc, Princeps Serenissime, arduum Rectoratus Academici munus humilimè commendo. Accipe igitur, Domine clementissime: nunc à me insignia illa academica, quæ Rectori Magnificentissimo imprimis conveniunt, quibusque conspicuum Eum esse oportet; accipe, inquam primùm purpuream hanc, & tantò Princeps

pe

pe dignè ornatam epomidem : ornatus hic regius est, Imperatorum beneficio Academiis concessus, qui proinde tantum Principem Regum ac Heroum stemmate prognatum maximè decet. Tuæ etiam Magnificentiae, PRO-RECTOR designate Magnifice, purpuream epomidem trado, ut munus, quod Tua Magnificentia gerendum nunc suscipit, quò Rectori Magnificentissimo, ope & consilio adesse debet, conspectius & illustrius fiat.

EN TIBI etiam, RECTOR MAGNIFICENTISSIME, bina sceptrà, insignia potestatis in universos cives Academicos : ponderosa sunt, quæ somnolento manibus facile elabantur, sed TVA, Rector Magnificentissime, vigilantia, si accesserit etiam Magnifici Pro-Rectoris dexteritas, firmiter ea tenebit : preciosa sunt, & proinde tædio oneris non abjicienda : candida sunt, quæ severitatem in fontes pariter & comitatem erga insontes commendant, derelictis fiduciam adferunt, miseris solatium promittunt.

Trado simul SERENITATI TVÆ, Rector Magnificentissime, librum Statutorum ac Legum., secundùm quas Academia hæc gubernanda est, ad has SERENITAS TVA subinde in imperiò respiciet, hæ Magnifico Domino Pro-Rectori in consiliis suggerendis norma sint : neque enim talis est nostra Respublica, quam ex cœcò regentium arbitratu administrare liceat, sed Leges bonum publi-  
C cum

cum spectantes norma sunt, secundum quam Res-  
publica literaria gubernanda est.

Trado insuper SERENITATI TVÆ, Rector  
Magnificentissime, sigillum academicum, quò per-  
subsequens semestre utaris, quoties res in literariâ  
nostra Republicâ postulabit, & occasio in signan-  
dis literis & Programmatibus publicis, nec non fir-  
mandis & corroborandis testimoniis atque contra-  
ctibus sese offeret.

En denique RECTOR MAGNIFICENTIS-  
SIME, claves, quibus referari & obserari, claudi &  
recludi TVÒ mandato & PRO-RECTORIS Consi-  
lio oportet Academiae curiam, scrinia, Auditoria,  
illa etiam loca, quibus præfracta & flecti nescia in-  
genia ad obsequium perducenda sunt.

Quod superest, TIBI, RECTOR MAGNIFI-  
CENTISSIME, Princeps clementissime, devotâ ac  
humilimâ mente summum hunc honorem gratu-  
lor, DEVS OPT. MAX. imperium TVVM quàm fortu-  
natisimum esse jubeat, instruat TE in omnibus ad-  
versitatibus fortitudine Davidis, in totius vitæ cursu  
pietate Josaphati, in administrandâ Republicâ sa-  
pientiâ Salomonis; in propagandâ sincerâ religione  
zelò Josiæ! DEVS omni benedictione ac felicitate SE-  
RENIT. TVAM beet, ut sicut olim benè Principibus  
precauri Augusti felicitatem adprecati sunt: ita in  
posterum bona aliis expeturi felicitatem IOHAN-  
NIS WILHELMI adprecauri queamus. Tibi etiam  
PRO-RECTOR MAGNIFICE de ingenti tuò honore

ani-

animitus gratulor : Supremum Numen consiliis o-  
mnibusque actionibus tuis ex altò benedicat, ut  
vergant in nominis divini gloriam, atque Reipubl. li-  
terariæ emolumentum. Faxit DEVS, ut elapsò  
hòc semestri, inclytam hanc Academiam exoptata  
incrementa coepisse, omnes lætò animò  
videamus.





*SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,*  
D O M I N E  
**WILHELME ERNESTE**

Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,  
Landgraviae Thuringiae, Marchio  
Misniae, principali dignitate Comes  
Hennebergiae, Comes in Marca & Ravensberg,  
Dynasta in Ravenstein,

DOMINE CLEMENTISSIME.

UT ET

**RECTOR MAGNIFICENTISSIME,**

*SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,*

D O M I N E

**JOHANN GVILIELME**

Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,  
Landgraviae Thuringiae, Marchio  
Misniae, principali dignitate Comes  
Hennebergiae, Comes in Marca & Ravensberg,  
Dynasta in Ravenstein,

DOMINE CLEMENTISSIME.

NEC NON

*SERENISSIMORUM*

Ducum Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,  
Landgravorum Thuringiae, Marchionum Misniae,  
principali dignitate Comitum Hennebergiae,  
Comitum in Marca & Ravensberg, Dynastarum  
in Ravenstein,

ACADEMIAE SALANAE NUTRITORUM DOMINORUM-  
QUE NOSTRORUM CLEMENTISSIMORUM

**LEGATI Excellentissimi.**

F

EX-

EXRECTOR MAGNIFICE,  
PROCERES, PROFESSORES AC HOSPI-  
TES OMNIUM ORDINUM HONO-  
RATISSIMI,  
TUQVE FLORENTISSIMORUM STUDIOSORUM  
CORONA NOBILISSIMA !



Um vaga Luna extremos labores  
claudit, ac Bellona Teutoniæ favet,  
& de Inviçtissimi Cæsaris sorte me-  
liori sibi gratulantur Principes, de-  
que victoriis, ab infestissimo Chri-  
stiani nominis holte indies repor-  
tatis, lætissimæ tripudiant civita-  
tes, nobis quoque serenus exoptatissimusque ille,  
dies fausto omine hodie illuxit, quo, applaudente  
cœlo, indulgentibus horis, Musis gaudentibus, qua-  
rum voluntati Charites sororia harmonia congru-  
unt, novis planè auspiciis Sceptrum Apollinis Ju-  
ventutis Principi, stirpis celsitudine inclytissimo,  
Cui concinni oris honos, corporis elegantia, mo-  
rum suavitas doctrinarumque varietas omnis turbæ  
adstantis legit suffragia, manusque laudantes am-  
plectentesque lacertos movet, in hac Virtutum, Sa-  
pientiæ ac Eruditionis officina solennissimo rarissi-  
moque actu collatum est. Quibus proinde laudi-  
bus Tua, SERENISSIME PRINCEPS, mi-  
hi deprædicanda est clementia, qua incredibilem  
erga præclara studia, omnesque Eruditorum ordi-  
nes

nes affectum abundantissimè declaras , priscamque  
illam inlustriissimi hujus Athenæi felicitatem reducis,  
vestigisque Parentis & Patruorum, Cognatorumque  
Serenissimorum insistens, purpuram fascesque hujus  
Heliconis in Terecipere, nec Præsidis tantum curam,  
sed & Judicis gravitatem agnoscere non dedignaris;  
quo ipso non satis putas ex magnis Parentibus Genus  
& sanguinem Heroum ducere, nisi Ipse ad summa  
gloriæ festinans solis instar benignitatis tuæ spargas  
radios, bonarumque artium & scientiarum, Rel-  
igionis, pietatis atq; justitiæ ardorem luculentissimè  
indices, atque in Excelforum Majorum virtutum lau-  
dumque admirandarum possessionem velocissimo ve-  
nias gradu. Ita Naturæ dotes & Fortunæ beneficia  
iis artibus munienda statuis atq; adornanda, quibus  
Respublica nunquam ulla nisi invita, nec impunè  
caruit. O felix HOC RECTORE Academia!  
O nimium felix HOC PRINCIPE Civis, Rel-  
ligio cui prima tenet, cui fasque fidesque regula ju-  
stitiæ est; cui alma Themis intima fundat corda.  
Neq; ardens pietatis amor virtusq; plurima nos jubet  
desperare proficua, nec vana intuemur omina, nec  
falsis auguriis Sceptra atque Diademata, pectusque  
fulgidissimis gemmarum coloribus ornatum cœlestis  
naturæ opera pernoscimus. Totum hîc benignissi-  
ma Natura explicat Theatrum. Huc longa vetustas  
confluat, & sese victam miretur in Juvene, Qvem  
merito orbis doctior adorat, Qvique favet Musis, sed  
Ipse Musis amabilior. Si qua domus est illustris in  
vastissimis Germaniæ terris, Qvæ laudem sine fine,  
honorem gloriamque immensam meretur, aut meri-  
tura est, potentissima Domus est Saxonica, tot He-  
roum, tot Regum atq; Principum genitrix fertilissi-  
ma; de qua si omne studium, omneque ingenium



ad Ejus gloriam deprædicandam, uti jus, uti fas foret, conferrem, vix tamen officio meo dicendo satis me facturum esse, omninò fateri cogor. Quot verò floruere unquam, aut adhuc florent clementissimi, sapientissimi, justissimi, constantissimi, aliisque virtutibus heroicis eminentissimi Principes Saxoniae, Eorum omnium imagines non solùm intuetur Tua Serenitas, sed Eos ex aëre quoque imitatur, & in Re administranda Publica animum mentemque institutis Majorum conformat felicissimè, patrii soli Asylum delictumque perpetuum! Nobilem stirpem nil magis quàm nobilitas scientiarum extollit. Primis statim annis conspiciuntur quasi cunabula quædam & elementa virtutis, animique procedente tempore ad summum gloriæ culmen perventuri certo cum indolis experimento gustus dari solet. Octavianus Augustus, cui amissitata & summè excellens erat indoles & imago quædam venturæ virtutis, ut ea propter mirabilis indolis adolescentem eum appellare non dubitaverit Augustinus, egregias naturæ dotes industria juvit, primoque ætatis flore animum exornavit variis studiis, Julio Cæsare sic providente, quem à teneris conspecta indoles delectavit, ut maximè illum diligeret; utque ea cultior fieret, teste Vellejo, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolis juvenem Apolloniam, (Taulantiorum in Macedonia civitatem, ad mare Ionicum sitam) in studia miserat, mox belli Gethici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Non humilia spirabat, sed à prima pueritia splendori Julii assefactus genium & ingenium prodebat, de quo ita Claudianus:

*Mens*

*Mens ardua semper  
a puero, tenerisq; etiam fulgebat in annis  
Fortunæ majoris honos. Erectus & Acer,  
Nil breve moliri; nullis hæerere potentium  
liminibus, fastisq; loqui jam digna futuris.  
Jam tunc conspicuus, jam tunc venerabilis  
ibat,  
Spondebatq; Ducem celsi nitor igneus oris.*

Et quòd Tuæ Serenitatis educatio omnibus numeris absoluta & felicissima sit, post Deum immortalem, cui pro tanto beneficio immortales debentur grates, Deo nostro Tutelari, Serenissimo WILHELMO ERNESTO Saxonum Duci gloriosissimo, vivo & exquisito boni Principis exemplari, & qui tanto propius ad Deum immortalem accedit, quanto pietate, clementia & justitia est illustrior, eam humilima gratissimaque mente referimus; Deus sospitator pro paternæ educationis & sollicitæ providentiæ cura, a qua communis patriæ pendet felicitas, proq; rara in Ecclesiam & Rem literariam munificentia, beneficia, quibus nos cumulavit, in sinum Ipsius uberrimo cum fœnore refundat, Eique vitam longævam largiatur, principatum Illius firmet, consilia secundet, tranquillitatem perennem omnigenamque felicitatem cum corporis & animi viribus, quas Principi optare fas est, indulgentissimè concedat. Vive sublimis Princeps tuo Dilecte DEO, procul curis acerbis, tuæ mentis dolentia procul! Et Tua Serenitas, R E C T O R M A G N I F I C E N T I S S I M E, heroicæ indolis Princeps, soboles avitæ patriæque gloriæ

ac virtutis æmula, seculi gemma gemmis rarior, spes  
Patriæ, Musarum solatium præsidiumque firmis-  
simum, vivat centenos annos! annos centenos vivat  
integra, literarum ac pacis cupida; & manebit Eam  
major inde gloria, quàm si Victor aurato curru Ca-  
pitolia Tarpejasque arces invectus de hoste trium-  
phet. DEUS regimen modernum Apollineum cum  
læto successu coronet, & uti ornamentum ad al-  
tius tollendum fastigium splendoris, ita specimen,  
quo novæ palmæ in admirationem & amorem sui  
veteribus adjiciantur, benignissimè constituat. Cœ-  
lestes æternæque mentes Tuæ Serenitati sint pedis-  
sequæ, cuncta ut salutem Ejus inimica procul arce-  
antur, & divinum ingenium in humano corpore  
ultra solitos extendatur terminos; atque Cæsaris fa-  
vorem, Principum amicitiam, ac subditorum amo-  
rem sentias uberrimè. Agnoscit, CLEMENTIS-  
SIME PRINCEPS, alumna hæc & clientu-  
la Tua Academia, Conservatoris ac Nutritii sui in-  
comparabilem gratiam, donoque pietatem & devo-  
tionem, omnium donorum nobilissimum offert,  
precesque pro incolumitate fufas, ut Te fors am-  
plius non turbet aspera, utque fera sit dies, quo Te  
astra receptent, nec nobis hodie ovantibus il-  
la fiat nota, in cœlum ablegat. Et Tuæ Serenita-  
tis fervorem ego minimus demissoque obsequio &  
reverentia dicatissimo pientissimo amore felicis-  
simum me æstimo, quòd inter tot faustas singulorum  
acclamations & ardentissima Musarum Alumno-  
rum vota, divinæ bonitatis ac potentiæ argumen-  
tum in Te inspiciens mirari, omnipotentisque DEI  
gra-

gratiam humillimo pectore apprecari, utque studia gloriæ nominis ipsius penitus dicata corporisque vires nunquam destituat, ardenter & ex animo vovere, ac in tam augusto Musarum templo, in tanto literatissimorum Virorum confessu, atque in summo omnium silentio de constanti in dies, in horas, momentaque meorum servitiorum promptitudine erga Tuam Serenitatem à latere testari mihi liceat.

Quod reliquum est, ad reliquorum Serenissimorum Saxoniae Ducum, Academiae hujatis Nutritorum munificentissimorum Dominorumque nostrorum clementissimorum aras humilimè pervolvor, justissimum DEUM, à quo omne regimen in populos dependet, sinceris, piis calidissimisque invocans suspiriis, omnes atque singulos nostri temporis Atlantes tueatur potentissimè, ut vivant regnentque felicissimè, donec instabilis mundi machina solvatur, & omne simul imperium per terras corruat. Cedant ancipites casus & tristia pericula. Bella & quævis mala ab Optimis hisce Principibus nostraque patria in impios Scytas Sauromatasque nostra prece agantur. Saxonicos Duces nulla apud nos filebit dies; Saxonica nomina servabimus, Numen inest illis. Saxones totus non terminet Orbis! Serva, ô æterne DEUS, Academiam hanc, Spiritus tui Officinam, omniaque ejus membra protege, ut sub divino ac perpetuo patrocinio salus promoveatur publica, ac hostes & obtrectatores, si qui sunt, livore palleant ac plorent. Vos,  
lectis-

lectissimi Commilitones, nihil quæso admittatis,  
quod pietatem, existimationem morumque ele-  
gantiam lædere videatur. Gratulemini Vobis,  
tanto digni honore, tantaque reperti felicitate,  
quòd membra fitis istius Corporis, cujus sanctissi-  
mum Caput, fulgentissimus Imperii Princeps est.  
Id agatis, ut per Vos DEI gloria amplietur, prove-  
hatur Reipublicæ salus, & cujusvis incolumitati  
sedulo prospiciatur. Quam mentem ut DEUS Vo-  
bis servet, serio exopto

PETRUS MÜLLERUS, Jctus,  
PRORECTOR.

LIT. F.



SERENISSIM  
DN. IOHA  
DVCIS SAXONIA  
LANDGRAVII TH  
PRINCIPIS HEN  
ET RAVENSBER

D. XX  
HVMIL

FRIL

DOMINI,  
HELMI,  
MONTIVM,  
S MISNIAE,  
IN MARCA  
ENSTEIN



3.

